Quelle: https://manuscripta.at/?ID=30611
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

& spiritum adoptionis credentibus largiretur ipso saluatore dicente. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis
& quorum retinueritis retenta erunt. Die autem pentecostes eis apostolis repromissum est ut baptizarentur spiritu
sancto. & induerentur uirtute ex alto qua Christi euangelium cunctis predicarent. uti et illud. quod in .lx. vii. psalmo
legimus. Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa. Non itaque iohannes lucasque discordant. ut quod ille prima
resurrectionis die datum esse significat. hic die quinquagesimo uenisse describat. sed perfectis apostolis est ut qui pri-
mum remittendorum peccatorum gratiam acceperunt. postea acciperent operationes uirtutum. & gratiam sanitatum. & quod
magis necessarium erat gratia linguarum. ut annuntiantes Christum. nullo egerent interprete. Ergo autem audacter
& tota libertate pronuntio. ex eo tempore quo apostoli domino crediderunt. semper habuisse eos spiritum sanctum. nec potuisse sig-
na facere absque spiritus sancti gratia. sed pro modulo atque mensura. Unde dominus clamabat in templo dicens. Qui sitit ue-
niat ad me & bibat. Et euangelista. Nondum erat spiritus datus quia ihesus nondum fuerat glorificatus. non quod non esset
spiritus sanctus. sed quod erat in domino nondum totus in apostolis morabatur. **De actibus apostolorum**

Primum quidem sermonem. i. euangelium. Theophilus erat episcopus alexandrinus. & interpretatur dei amator
siue a deo amatus. Conuescens ad confirmandam fidem resurrectionis sue. Sic ueniet. In ea de forma
atque substantia ueniet iudicaturus in qua uenit iudicandus. Iter sabbati mille passus. i. unum
miliarium secundum legem. sabbato usque ad montem oliueti. ut iudeis licitum erat. uel etiam sicubi fuisset
tanto spatio deambulandi licentiam presumebant. Iacobus alphei. ad distinctionem iacobi zebedei.
De sancto symone & iuda apostolis.
Symon zelotes qui & chananeus a uico chana qui & zelos appellatur. Iudas iacobi frater qui & lebbe-
us & thatheus. non ille qui ad abgarum missus est. Ille enim ex .lxx. ii. discipulis fuit qui ad sanandum
regem memoratum fuerat destinatus. sicut in ecclesiastica hystoria inuenitur. Sed & de symone dubitatur.
Nam hystorie in quibus apostolorum passiones continentur. que a plurimis apocrife putantur referunt eos symo-
nem scilicet & thatheum in perside predicasse. ibique martyrium consummasse quibus astipulatur & martyrolo-
gium beati ieronimi cuius interpres non auctor fuit. eusebius enim auctor eius extitit. Porro ysidorus
arbitratur hunc symonem esse qui post iacobum fratrem domini ierosolimorum rexit ecclesiam. ac sub traiano
crucis martirio coronatus. Quod negare non audemus maxime cum is qui passiones eorum describit certissime
menta & falsa se scripsisse prodidit. Dicit enim quia candaces eunuchus quem baptizauit phylippus in iudea eo
Candaces femine non uiri nomen esse
tempore fuit in ethyopia quo matheus ibi docebat. cum manifestum sit hoc nomen non uiri esse sed femine
regine scilicet ethyopum. Nam sicut ex ueterum monumentis comperimus. omnes regine ethyopum antiquitus
Quibus se partibus apostoli contulerint.
candaces appellari solebant. Quantum narrat hystoria. Bartholomeus se contulit ad yndos. Tho-
mas ad parthos. matheus ad ethyopes. Andreas scytas. Iohannes asyam. Petrus capadociam. galatiam.
bythiniam. pontum. prouintias confines. dum iudeis predicans circuit. postremo romam illustraturus ac-
cessit. Paulus ab ierusalem usque illiricum cum euangelio repleuisset tam innumeras ac dispares nationes
nouissime rome pro Christo occubuit. postquam eam cum Petro preceptis tamquam armis edomuit. Ioseph qui uo-
Proseliti
cabatur barsabas filius quetis. mathiam dei paruum. Crepuit fracturus sonuit. Proseliti aduene. de gen-
Extasis
tibus nati per circumcisionem & iudaismum iudeis associati. Extasin pauorem nimium. uel ut alii men-
Ydiota
tis excessum. Ydiota quia propria lingua tantum natalique sciencia contentus. litterarum studia non sequitur. Ydiota
indoctus imperitus ignarus. Ante hos dies extitit theodas. hic persuasit multis ut iosephus refert sublatis
ex urbe facultatibus suis. ripas iordanis obsidere. & cum esset magus prophetam se dicebat. posseque imperio
fluuium directo gurgite prebere transitum. cui prefecti procuratoris iussu turba equitum superueniens
multis peremptis aut captis. caput eius ierosolimam retulerit. Post hunc extitit iudas galyleus
hic persuasit multis ne tributa romanis soluendo. ~~nupere~~ perderent libertatem: profitens ex lege soli deo serui-
endum. & eos qui ad templum decimas offerrent. cesari tributa soluere non debere: ideoque Christum de hac re
In diebus professionis. Stephanus.
interrogabant. In diebus professionis in tempore quo tributa romanis dabant. Stephanus grece coronatus